

AD BENEVOLE AVDIENDAM  
**ORATIONEM**  
 QVA  
 IUVENIS NOBILITATE GENERIS INGENIO ET LIBE-  
 RALIS DOCTRINAE STVDIIS  
 FLORENTISSIMVS  
**IACOBVS FRID.  
BAVMGART**  
 PATRICIVS THORUNENSIS  
 IN ACROATERIO MAIORE  
 DIE ix. IUN. ANNI d<sup>o</sup> 15CCXVIII  
 HORA NONA  
 PATRIO GYMNASIO PALEDICET  
 NVMINIS DIVINI AVSPICIS  
 ITER IN ACADEMIAM  
 QVAE IN REGIOMONTE FLORET  
 PARATVRVS  
 INCLYTAE REIPVBL. THORVNENSIS  
 PROCERES LITERARVMq; STATO-  
 RES PATRONOS FAVTORES  
 ET HOSPITES  
 EA QVA PAR EST HUMANITATE ET CVLTV  
 INVITAT  
**PETRVS IAENICHIVS,**  
 GYMNASII RECTOR ET P.P.  
 XXXXXXXXXXXXXXXXX  
 THORUNII, Impressit Joh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.



requens admodum & pervulgata de  
temporibus est querela, ac nihil fere est,  
quod crebrius hominum sermonibus  
auditus praedicari, quam pristini aevi  
felicitatem, praesentis autem accusari  
molestias & calamitatem. Unusquis-  
que ingemiscit, quoties recolit animo  
annos, quos confecit fere ludendo: lau-  
dat antiquam fidem & candorem: conqueritur de bellorum  
pervicacia & iniquioris fati malignitate: deplorat decremen-  
ta fortunarum, familiarum ruinas, rerum publicarum com-  
mutationes & eversiones: indignatur conturbatam ac pro-  
pemodum eversam legum sanctitatem: boni ordinis com-  
pagem laceratam & convulsam: profligatam ex animis ve-  
recundiam & modestiam morum: praecipitatam rerum  
prosperitatem in abyssum miseriarum, subrutam ac tantum  
non prorsus conseptam. Neque certe nulla est causa,  
cur quodammodo dolori suo obsequantur probi homines,  
nec imprudens & intempestiva eorum est querela. Servi-  
re enim omnia videmus tempori, & ipsa quoque ingenia  
hominum ex conditione temporum induunt formam, ut vel  
inde ad moliendarum rerum audaciam aut celeritatem effi-  
ciendarum excitentur. Et cum saepe non tardae laudis, quae u-  
nica est meta, cupiditate rapiantur, aliis non tam avidis no-  
vae fortunae, quam capacibus sperandi aut timendi diligen-  
tiam infundunt. Difficile quoque innutritis licentia agen-  
di hominibus est, continere vires & acumen, cum viam,  
quam ipsum aperit tempus, augendae gloriae vident. Ali-  
ter

ter sane eveniret ipsis, si in valentiora Reipublicae incidissent tempora atque idoneus impedimento esset metus, quem robur ac recti moris iustitiaeque iniicit vis non corrupta ac seculi vitio labefactata. Non praeter rem haec venerunt cum aliis tum maxime Velleio Patrculo in mentem, gravissimo Romanarum rerum scriptori, arbitranti, tanto impetu & celeritate vix everti potuisse tot vasta & incredibili labore parta imperia, si Philippi, Alexandri M. ac Iulii Caesaris ambitionis & opinionis error incidisset in Papyrios, Fabios, Paullos, Scipiones, Africanos & alios ingenii acie, virtute ac sapientia praestantes. Sunt haec omnino, quae aegrae Civitatis indicant statum, aut produnt infirmitatem, quae nonnunquam, fato moderante, magnae rerum conversionis & subitae causa solet esse. At vero, quae generatim de temporibus vulgo querela est, nae aliquando vel impatientiae multorum vel ignorantiae prioris aevi & morum, qui aetatem majorum afflixerunt, nota dici videtur. Repetamus pueritiae nostrae annos, quos fere omnes imbecillitas mentis, error & iudicandi inopia pulchros, quietos & omni dulcedine abundantes stitit. Non alia de causa censemus hoc factum esse, quam quia ipsi illos puerili lusu, levitate ac ludicro impetu transegimus, expertes casuum ac parum consulti, incurique molestiarum, quibus cum grandioribus natu erat conflictandum. Placuerunt omnia externa specie blandientia, videbantur probata & magna nobis, discrimen rectum nesciis ac paucissimis aut fere nullo experimento eruditis. Numne nunc tantum pereunt homines in bello? Urgentur Cives ad eroganda aera sine culpa & criminis lacessiti? elevantur honesti mores & iustitiae regulae? Invaduntur oppida & exuruntur? Excutiamus seculorum res & monumenta, quae mentem in alias, uti putamus, flexent cogitationes. Acciderunt sane haec omnia olim, ac, quod non sine bono omne dixerimus, maiori atrocitate, quibus cogitandis aut non pares fuimus, aut non satis omnium observantes. Proinde unamquamque deprehendimus aetatem conquestam de suis molestiis, cum nunquam fuit tempus turbis vacuum, hominum rabie ac perveritate. Regi sic, Numine non prohibente, quasi suo genio mutari que temporum vices pariter & ingenia, ut difficilior modo modo tolerabilior paullo eveniat aetas, a multis est observatum. Ceterum DEus est, qui malorum, quae permitit, multitudine nostros castigat mentis errores, & subnascentibus pravitate

tate hominum periculis non obnittitur, pro infinita sua sa-  
pientia vicissitudines rerum ex nostra salute moderaturus.  
Utut vero nunquam desinant regnare morbi, homines eti-  
am quotidie moriantur, cum emolumento tamen de reme-  
diis consilia agitant medicae artis periti. Ita non hebeta-  
re nostras curas temporum infelicitas debet, nec honesta  
sunt arcenda ingenia, quo minus pro propulsandis calamita-  
tibus aut saltim imminuendas quanta possunt, virtute animi  
et consilio annitantur. Quin mature praeparandi sunt animi,  
ut impendenti patriae exitio se obiiciant, ac vulneribus cum  
cum sua ipsius salute mederi recte discant. Haec cum  
secum reputaret, ac, qualem etiam patriae pollicetur, ostend-  
eret quodammodo, ORATIONE DE FELICI TEMPORVM  
REPARATIONE, publice in Acroaterio Gymnasii maiore  
probare ac Patriae, Patronis, Parentibus, Amicis & Prae-  
ceptoribus valedicere existimavit iam Academiam salutaturus,  
NOBILIS ATQUE EXIMIUS IVVENIS, IACOBVS FRIDE-  
RICVS BAVMGART, unica spes & proles Magni  
Parentis, VIRI MAGNIFICI AC GENEROSI, DOMINI IOAN-  
NIS BAVMGARTII, BVRGGRABII REGII AC PRAE-  
CONSVLIS IN PATRIA CIVITATE, ITEMQUE ASSESSORIS  
TERRESTRIS IUDICII NOBILITATIS CVLMENSIS, munera  
splendore multaque meritorum laude illustris. Praeterquam  
vero quod in Iuvene non usitata vigeat virtus animi agendi-  
que exercitatione & doctrina quotidie ea confirmetur, tum  
avitae laudis possessio hunc nobilissimum alere potest im-  
petum, atque ad omnia bene merendi exempla incitare.  
Illa enim BAVMGARTIANA Familia & cum magnis  
ac dignitate equestri illustribus viris ceniuncta exsplenduit,  
& propriae quoque virtutis ac meritorum semper floruit  
cumulo, quibus Patriam aeterna prudeniae laude sibi devinxit.  
Quare hoc gratae mentis officium erit, ut eiusmodi decus  
tam egregiae stirpis & exantatos pro patriae commodo la-  
bores non taceamus, quin incolumentem familie, prospe-  
ritatem perpetuam ac firmam fortunae constantiam ex ani-  
mo apprecedemur. In primis vero iam rogandi Musarum  
Patroni & Fautores sunt, ut tum ob necessitudines nobilissi-  
mas, tum ob commune literarum decus & ornamenta id  
benevolentiae tribuere velint declamaturo, quod audiendi  
gratulandique suffragio pariter & bene precandi amore  
continetur. P. P. Feria II Pentecost. Anno reparatae salu-  
tis cl<sup>o</sup> lccxviii,

inv. 113032

k. fol. 3 adl. 43